



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod per amorem peccatum dimittitur, 16

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

defendunt. Sed dilectio tua omni peccato contrariatur, & omni tentationi resistit; imo nec morti, nec tormento succumbit. Vinci nequit; imo de morte obtinet victoriam & triumphum. Hanc veram dilectionem tribue mihi misericorditer, Domine Iesu Christe, tota virtus & vigor amantium, ut tecum in amore maneam in sempiternum, Amen.

## C A P V T X V I.

*Quod per amorem peccatum dimittitur.*

I. **T**anta est vis amoris, superamande Domine Iesu Christe, quod per amorem peccata remittuntur. Non est enim peccatum, quod dilectione tua non remittatur. Non culpa, non noxa tam gravis vel enormis; quæ adveniente dilectione tua non expellatur. Non macula tam fæda, tenax, ac etiam inveterata, quæ non dilectione & amore dissolvatur. Quia tua dilectio omni culpæ mortali contrariatur, nec cum aliqua esse potest. Habet enim tua vera dilectio omnem culpam expellere, sicut calidum frigus expellit. Sed non sic est de alia quacunque virtute. Ut patet de beata peccatrice, quæ tot peccata habuit; & tamen dilectionis virtute omnia sunt ei dimissa, quia ab ore Veritatis dictum est: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Licet enim abundanter fleverit, pedes lachrymis laverit, capillis terferit, pedes osculata fuerit & unxerit: tamen istis non attribuitur remissio, sed soli dilectioni. Quia sine dilectione parum valuis-  
sent,

sent, sed fuerunt signa quædam & scintillæ ignis, à dilectione preparata. Quæ eatenus tibi grata fuere, quatenus ab amore imperata. Dilexit namque te multum, quia ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente. Quod evidenter patet in iis dilectionis signis, quæ ostendit. Dilexit enim te super omnia, sed non nimis; quia tu Domine nimis diligere non potes; imo modus diligendi te, sine modo est.

2. Et in hoc etiam patet nobilitas & valor dilectionis ejus. Quia in excessu non amittitur, nec augmentum ejus in vitium vertitur, sed in commodum & profectum. Contra tamen homo potest nimis jejuna; eleemosynas dare, orare, & sperare. Virtutes quoque morales si transcendant modum vel medium, in vitium & malitiam convertuntur. O clementissime Domine Iesu Christe, amator bone, ego malus & vitiosus peccator, ista mente revolvens, nec mente, nec opere ad effectum perduxì; sed à vero amore & dilectione elongatus, & totus frigidus factus, in peccatis & vitiis innumerabilibus, tempus meum miserabiliter consumpsi. Adjuvare me digneris, misericordissime Domine Iesu Christe, immense fons amoris: & ut peccata mea benigne remittas, dilectionem tuam mihi digneris infundere sempiternam, Amen.

CAPVT